



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divus Stanislaus Kostka S.I.

Callenberg, Caspar

Neuhusii, 1716

Decretum Canonizationis Beati Stanislai Kostkæ Novitii Societatis Jesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69536](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69536)



suis impar incendiis omnino extingueretur, humida pe-
ctori lintea admittere coactus est; pyrobolo similis, eti-
am dum aquis innatat, flammam eructanti. Tandem,
cum in tenera etiamnum ætate Æternitati jam videretur
maturus, non tam febris, quam Divini Amoris vi solutus
à corpore, ipso Assumptæ Virginis pervigilio terris mo-
ritur, Coelis oritur. Ubi suæ necdum Poloniæ imme-
mor, acceptam ab illa vitam toties laboranti reddidit,
quoties Ottomannicæ Lunæ cruentam eclipsem induxit.
Nec soli duntaxat Propitius Patriæ, omnium sibi suppli-
cum votis beneficus annuit; exquisitæ sanctitatis famâ,
& gloriâ miraculorum ubiq; coruscante, toto jam Orbe
clarissimus.

DECRETUM
CANONIZATIONIS
BEATI STANISLAI
KOSTKÆ

Novitii Societatis Jesu.

Propositâ aliàs, nempe die ix. Maji 1713, in Con-
gregatione Generali Sacrorum Rituum habitâ
coram Sanctissimo Domino Nostro Causâ Ca-
nonizationis BEATI STANISLAI KOSTKÆ Novi-
tii Societatis Jesu, discussioque dubio -- *An, & de qui-
bus Miraculis constaret in casu, & ad effectum,*
&c. Sanctitas Sua, auditis tam Consultorum, quam
Reverendissimorum DD. Cardinalium suffragiis, distu-
lit eâ die resolutionem, ut prius de more Coelestis lumi-
nis auxilium in tam gravi deliberatione imploraret; At
postmodum, nempe die xij. Novembris ejusdem Anni



1713. ex tredecim adductis , ac discussis Miraculis, tria approbavit, videlicet: Primum instantaneæ sanationis Annæ Theodoræ de Ligniville atrophîâ, & impotentîâ crurum à pluribus Annis laborantis, sed tanquam supra numerum, utpote secutum ante indultam eidem Beato Stanislao venerationem; Necnon alia duo, quæ post indultam venerationem hujusmodi supervenerunt, nempe Quintum repentinæ Sanationis Andreæ Fausti Unikovvski Monachi Ordinis Sancti Benedicti lethali morbo ægrotantis, Ac Duodecimum instantaneæ itidem sanationis Francisci Xaverii Societatis Jesu à Paralyfi.

Eâdem subinde Generali Congregatione coram Sanctitate Sua die 17 Julii proximè præteriti iterum habitâ, factâque à Reverendissimo D. Cardinale de Abdua juxta præscriptum Decretorum plenâ, & distinctâ relatione omnium in hujusmodi Causâ gestorum, propositum fuit ab eo Dubium -- *An stante approbatione trium Miraculorum ut suprâ factâ, tuto procedi posset ad solemnem Canonizationem ejusdem Beati STANISLAI* -- Ad quod omnes unanimi voce affirmativè responderunt. Verùm Sanctitas Sua antequàm quidquam decerneret, tam suis, quam aliorum precibus se denuo ad Deum recurrere velle declaravit, ut dirigente Domino gressus suos, eam, quam ipse monstrasset viam, tuto pede inire posset.

His demum impletis, idem Sanctissimus Dominus Noster infra scriptâ die ipsimet B. STANISLAO Sacrà, R. P. D. Prospero de Lambertinis Fidei Promotore, ac me Pro-Secretario Congregationis suprâdictæ accitis, præsens Canonizationis ejusdem B. STANISLAI quâdocumque faciendæ Decretum expediri, & publicari mandavit, non modò ad novum, ac insigne decus memoratæ

○○○ ○ ○○○

moratæ Societatis Jesu de Catholicâ Religione multis
nominibus meritæ, in qua scilicet Beatus Juvenis con-
summatus in brevi explevit tempora multa: Sed etiam
ad speciale, ac maximè opportunum solatium Populo-
rum inclyti Regni Poloniæ, ac Magni Ducatus Lithua-
niæ, ut qui jam pridem, patrocínio, ac tutelâ supradicti
Beati STANISLAI foeliciter potiti sunt, ad illius præsi-
dium in præsentibus suis necessitatibus alacrius, ac fer-
ventius implorandum excitentur. Hac die xiiij. No-
vembrii 1714.

F. Cardinalis de Abdua Præfectus.

Loco ✠ sigilli.

N. M. Tedeschi Episcopus Liparitanus
Sac. Rit. Congr. Pro-Secr.

Insignia D. Stanislai, epigrammatis
Insignita.

In Gentilitias Kostkarum *Soleas*

Semper *Equi Solea* Gens *Kostkia* fulsit: *Equestrē*,
Quæ fulsit *Solea*, quis neget esse *domum*?

2. *Terra Polona* bonos, *Soleas*, convertit in usus:
Hostes his *calcat* *Terra Polona* suos.

3. Sæpe per hanc *claris Soleam* *Polonia* factis
Illustrata fuit. *Solea*, non *Solea* est,

Sol ea, non *Solea* est: *Turcum* dū *Kostka* cecidit,
Sole fuit certè *Turcica Luna* minor.

4. *Kostkia* Gens semper per *dura* per *aspera* victrix
lvi. Quid mirum? Gens *soleata* fuit.

G 3

5. Quam